

figurationem, neque gaudium, et fruitionem accipit ex creaturis, sed ex se ipso qui est infinitum, et inerrabile bonum. Secundo autem modo requievit Deus cessando novas creaturas facere, et ab illis, seu a productione tamquam a motu tendente in earum acquisitionem requievit in se ipso. Unde signanter Scriptura non dicit quod requievit Deus in opere suo, sed requievit ab universo opere quod patrarat. Et requies Dei in se ipso est æterna et ab æterno, sed post opera condita, seu ab operibus conditis requiescere in se, hoc fuit temporale, et incepit hac septima die, qua cessavit motus, id est, novarum specierum productio, et acquisitio, et sic patet quod non cessavit Deus ab operando absolute; sed ab operando de novo ea quæ pertinent ad constructionem, et primam institutionem hujus universi, non autem e conservatione illius, et propagatione, atque administratione; sicut dicitur quiescere rex, quando habet regnum suum acquisitum, et sine bellis, seu motibus, licet tunc operetur in administrando regno et conservando. Et hoc ipsa Scriptura significat dum in hoc capite secundo dicit: *Quod benedixit Deus diem septimum, eo quod in ipso cessaverat ab universo opere quod creavit Deus ut faceret*: et Christus Dominus, Joan. v: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Ergo illa cessatio operis non fuit ut nihil amplius faceret, sed ut nihil amplius totaliter novum faceret.

III. Circa tertiam actionem, scilicet benedictionem et sanctificationem, dicitur quod benedictio in Deo potest referri, et ad largitionem alicujus doni quod benedicendo confert, vel ad approbationem alicujus rei jam factæ, quia perfecta, et consummata est, nec enim Deus benedicit gratias agendo sicut nos bene-

dicimus Deum, aut aliquid impetrando, sicut nos benedictionem a Deo postulamus pro aliis rebus, sed benedicit, aut rem factam approbando, seu bonam dicendo, aut rei faciendæ donum aliquod tribuens ut fiat. Et utroque modo diem septimum benedixit tum respectu rei factæ, quia jam consummata erat tota universi constructio, et compositio, et sic approbavit, laudavit, et benedixit hunc diem in quo vidit omnia consummata, sicut nos benedicimus diem quo aliquid valde magnum, aut desideratum consecutum vel consummatum videmus. Tum etiam benedixit diem septimum respectu rei faciendæ, quia in omnibus creaturis exinde cœpit multiplicatio et propagatio, quod est donum et beneficium Dei ex illa die largitum, confirmatum, et executioni datum.

IV. Sanctificatio autem illius diei intelligi potest, vel quia destinata est specialiter ad cultum Dei, vel quia significavit rem aliquam, vel quia in illo aliquid peculiaris sanctitatis Deus operatus est, sicut sancti fuerunt dies illi, quibus Christus Dominus speciale aliquod mysterium redemptionis, et sanctificationis nostræ operatus est. Primo modo verificatur sanctificatio sabbati, non quia lege positiva tunc præceperit Deus diem illum observari, et coli, id enim factum est longo tempore post in lege scripta, sed quia ipsa consummatio operum divinorum, et tantorum beneficiorum collatio, tunc consummata, et completa ad cultum Dei maxime homines inducebat, et excitabat, et sic proposita videtur a Deo ipsi Adam, licet non præcepta pro tunc. Secundo modo sanctificarum est sabbatum, quia æternam requiem futuram designabat, ubi totius sanctitatis erit consummatio. Unde Apostolus ad Heb. iv dicit: *Relinqui sabbatismum*

*populo Dei, qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus*: et subdit: *Festinemus ergo ingredi in requiem illam, etc.* Ergo sabbatismus, seu requies Dei requiem illam significavit in quam festinandum nobis est ingredi, quæ est æterna requies. Quod etiam dixit Augustinus epist. cxix, cap. ix: « Illa, inquit, requies Dei, requiem sine fine significat. » Tertio modo dici potest sanctificasse hunc diem, quia licet cessaverit a condendis novis creaturis, tamen exinde administravit eas referendo per earum operationes creaturas ad se, quod est magnum documentum sanctificationis, et cultus hominibus præbere.

V. An vero aliquam specialem sanctitatem supernaturalem hac die creaturis rationalibus contulerit, v. g. Angelis sanctis glorificationem aut eos omnes in sanctitate conservaverit, ut specialiter ipsum hac die laudarent, et jubilarent omnes filii Dei, omnino incertum est. Nam licet de Angelis bonis communiter dicatur durasse eorum via unico tantum instanti, tamen an instans hoc responderit omnibus sex diebus formationis mundi, incertum est, licet possibile sit. Quod etiam duraverint omnes Angeli in gratia pro primo instanti suæ creationis, ita ut illud instans correspondeat septem his diebus (ut verificetur in toto rigore, quod die sexto vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona: et si cuncta erant tunc valde bona, ergo adhuc nullæ creaturæ erant malæ) tamen hoc est omnino divinare, et sic affirmari a nobis non potest. Certe D. Thomas in hac quæstione LXXIII, art. i ad. III, numerans ea quæ præcesserunt in sex primis diebus, et sic postea non sunt totaliter de novo facta dicit: « Quod gloria spiritualis præcessit secundum similitudinem in Angelis. » Et sic sentit

ante septimum diem fuisse aliquos glorificatos, et consequenter alios damnatos. Quod oportet affirmari ab eis qui dicunt primos parentes sexta die peccasse, si quidem ex diaboli suasionem peccaverunt. Sed hoc est minus certum, quam quod Angeli ante sextum diem glorificati sunt; et sic de Angelis nihil certi statuimus.

## QUÆSTIO LXXIV.

DE OMNIBUS SEPTEM DIEBUS IN COMMUNI.

NOTANDA CIRCA ISTAM QUÆSTIONEM.

I. Restant difficultates quædam circa omnes istos dies, et circumstantias eorum, quæ D. Thomas in ista ultima quæstione colligit, ut plenissime omnia expediret, quæ ad opificium istorum dierum pertinent. Et considerat seu reducit omnes difficultates ad tria. Primo, ad sufficientiam istorum dierum, ita quod plures, nec pauciores requirebantur. Secundo, ad eorum distinctionem et diversitatem, videlicet an fuerint plures dies naturales, sicut isti quos modo habemus, an unus tantum. Tertio, ad modum, et circumstantias quibus narratur in Scriptura mundus esse factus.

II. Circa primum, vix restat difficultas aliqua suppositis omnibus quæ supra explicavimus. Nam accommodatio omnium operum plene, et sufficienter his sex diebus disponitur, ita quod nec superflue, nec diminute sunt assignati. Nam ut diximus in principio, triplex operatio positiva, seu factiva describitur in Scriptura, et una negativa per modum quietis, et cessationis, quæ pertinuit ad septimum diem. Qua relicta, triplex illa operatio fuit opus creationis, distinctionis, et ornatus,

Et quidem creatio omnium illorum corporum, quæ ex nihilo facta sunt in instanti, et indivisibiliter facta est. Unde pro ea non est computandum tempus, aut dies, sed instans, seu principium extrinsecum temporis, unde de creatione solum dicit Scriptura, quod: *In principio creavit Deus cælum et terram*, non dixit in die primo, vel in tempore, sed absolute in principio, quia illud fuit instans, quod est principium temporis. Quare non debent numerari, et diversificari isti dies intrinsece, et in se ratione operis creationis, quia instanti solum perficitur, quod est principium extrinsecum temporis, sed incipiunt tales dies, et dierum diversitas numerari ab opere distinctionis, et ornatus. Et sic optime sumitur accommodatio, et sufficientia istorum dierum penes corpora, quæ indiguerunt distingui, et ornari, et penes opera quæ in illis distinguendis, et ornandis necessaria fuerunt. Corpora autem omnia, quæ in hoc universo continentur, sunt cœlestia, elementalia, et mixta, ita tamen quod cœlestia, et elementalia componunt dispositionem omnium locorum, et simul hujus universi, si in sua situatione locatione, aut manifestatione sint obscura, aut confusa, indigent ordinari, et distingui. Sunt etiam capacia recipiendi in se mixta, et se moventia, quibus ordinantur. Unde corpora mixta non indigent distingui, et ornari, sed ipsa sunt ornatus corporum simplicium.

III. Igitur quantum ad opus distinctionis, oportuit tria corpora distinguere, et ordinare, diversis, variisque distinctionibus, quarum una non communicat cum alia, nec pertinet ad ordinem, et lineam alterius. Et similiter opus ornatus indiguit aliis tribus actionibus, et operibus eodem modo diversis ad ornanda eadem corpora quæ distincta

fuerant. Et non sunt alia corpora quæ distingui, et ornari indigeant, nec plures, aut pauciores actiones distinguendi, et ornandi poni possunt, ergoneque plures. Consequentia patet, quia licet Deus posset omnia opera ista, vel simul in uno instanti, vel in uno die, aut duobus facere, tamen supposito quod sapientia sua infinita disposuit, ut per plures dies distribuere, non potest inveniri melior, et aptior distinguendi modus, quam penes diversa opera inter se diversa, et ad diversa corpora pertinentia, quorum unum non habeat connexionem cum alio. Et cum operationes ad hos dies pertinentes sint distinctionis, et ornatus, et non invenimus nisi tres hujus generis pertinentes ad distinctionem, et tres ad ornatum, nec plures, nec pauciores, solum oportet sex dies distinguere et assignare. Major nota est ex supra dictis, nam oportuit in corporibus cœlestibus distinguere quoad manifestationem, et obscuritatem, lucem, et tenebras, et sic fuit prima dies. In elemento superiori aeris, quod multa parte occupabatur aqua, oportuit separare situationem aquarum, et relinquere aerem liberum, in eoque ponere secundam regionem, ubi firmarentur seu detinerentur aquæ vaporabiles a fluentibus, et ordinariis. In igne autem non fuit necessarium facere aliquam segregationem, quia ibi nullum aliud erat corpus intermixtum a quo fieret segregatio, quia nihil tale patitur secundum ignis, nec erat necessarium in eo ponere lucem, quia illam inde non potest ejaculari propter suam raritatem, et sic fuit secunda dies. In elemento autem infimo fuit necessarium segregare aquam a terra, quia terra aperta aquis non serviret pro animalibus, et utrumque elementum unica actione distinguebatur, quia segregata aqua, terra ipso facto ap-

parebat, debuitque apparere vestita plantis, et herbis quæ sunt quasi partes illi adhærentes, et sic fuit tertia dies. In opere ornatus, primo ornati sunt cœli luminaribus, et stellis, et hoc quarto die. Secundo ornata sunt elementa aeris, et aquæ (ignis enim non est capax ornatus, quia omnia sibi apposita consumit) eo quod pisces, et aves ex eadem materia, scilicet ex aqua grossa, et subtili formari debebant, et hoc quinto die. Tertio, ornata est terra animalibus, et homine tam masculo, quam femina, quia totum hoc pertinebat ad ornatum terræ, et hoc die sexta. Ergo isti dies sufficient, nec enim esse plura, neque pauciora corpora, quæ distingui, et ornari deberent, manifestum est.

IV. Circa secundam difficultatem, an isti sex dies fuerint dies veri, et naturales, an solum metaphorico aliquo modo dicantur plures dies, duas refert D. Thomas sanctorum patrum opiniones. Alteram Augustini dicentis hos sex dies non fuisse plures vere, et naturaliter: alteram aliorum sanctorum, qui veros, et naturales dies fuisse judicant. Et licet neutri opinioni velit S. Thomas præjudicare propter auctoritatem Augustini, tamen magis videtur in usu habere aliam sententiam, tum in toto hoc tractatu, tum in hoc articulo, ubi plura fundamenta pro sententia Augustini solvit.

V. Consistit autem Augustini sententia tum in explicatione istorum dierum, seu durationis in qua res istæ sunt productæ, tum in explicando modo productionis quomodo aliqua dicantur producta formata, vel informia quo in modo potentia, vel actu, et quæ sint ista. De duratione, seu tempore quo res istæ fuerunt productæ affirmat Augustinus simul, id est, uno die omnia illa esse producta, quæ ad constructio-

nem, et compositionem hujus universi pertinent, ita quod isti qui vocantur septem dies, in duratione sint tantum unus dies. Quæ vero pertinent ad propagationem, et multiplicationem creaturarum diversis diebus distincta sunt, et inter opera propagationis computat hæc sententia, plantarum, et animalium productionem in actu, quamvis in virtute, et potentia etiam cum aliis rebus simul sint facta, quia ad earum productionem in primo die receperunt virtutem. Ad salvandum autem locutionem Scripturæ quæ istam durationem distinguit per septem dies, dicit Augustinus istos dies non esse naturales, seu temporales, sed intelligibiles, seu angelicos, qui distinguuntur non ex parte cognitionis, sed ex parte rerum cognitarum, ita quod primum opus Dei ut cognitum ab Angelo sit primus dies, secundum opus secundus dies, etc. Et quia in Angelo est, duplex cognitio, matutina qua videntur res in Verbo, id est, in suo principio, et vespertina, qua videntur in propria specie, et extra Verbum, ideo dies angelicus componitur ex vespere, et mane. De modo autem productionis rerum distinguit Augustinus productionem plantarum, et animalium, quæ narrantur tertio, quinto, et sexto die a reliquis operibus. Et productionem plantarum, et animalium computat Augustinus non inter opera creationis, seu productionis, sed inter opera propagationis, quia ad multiplicationem creaturæ pertinuerunt magis quam ad constitutionem universi, est enim mundus quasi grande receptaculum, illa vero mixta, quasi res in illo contentæ. Et ita censet Augustinus res omnes quæ fuerunt simul creatæ in actu fuisse omnia illa, quæ usque ad quartum diem creata sunt præter productionem plantarum. Reliqua vero opera, scilicet planta-

rum, animaliumque productio non fuerunt facta in actu, illo primo die, sed solum in virtute. Eorum vero productio in actu pertinebat ad opus propagationis non creationis, et sic non fuerunt producta in actu in illa duratione in qua simul omnia producta sunt, sed solum in virtute, et tamen per distinctas durationes, seu dies postea producta sunt, quando facta sunt in actu. Denique, ex hac positione etiam infert Augustinus quod quando dicitur terram fuisse invisibilem, et vacuum, et corpora illa informia fuisse, intelligi quod non pro aliquo tempore, seu duratione prius informia fuerunt, et deinde formata, sed solum prius natura. Unde consequenter id quod pro illa prioritate informe fuit, fuit materia prima carens ex se omni forma substantiali, nec corpora aliqua sola accidentali formatione, seu formositate carentia.

VI. Hæc est sententia Augustini in IV de Genesi ad litteram cap. VIII, XXII et XXXIV, in lib. XI de civitate, cap. IX et aliis locis, cui refragatur aliorum sanctorum expositio in tribus. Primo, intelligit non esse facta omnia ista opera uno die, sed sex, et istos dies non esse angelicos, sed naturales, et temporales. Secundo, plantas esse creatas tertio die in actu, pisces et aves quinto, animalia sexto. Tertio, in illis quatuor diebus res illas esse factas eo tempore, et duratione quam designat Scriptura, scilicet quod primo die facta est lux, ita quod aliquo tempore fuerunt tenebræ, et aliquo tempore fuit firmamentum non factum, et aliquo tempore terra non discooperta aquis, et aliquo tempore non formata luminaria.

VII. Non est dubium sententiam Augustini suo pondere, et fundamentis statim adducendis firmatam, probabilitate non carere, quam tanti patris auctoritas conciliat, et

fundamenta ipsa confirmant. Cæterum ad communem usum, modumque loquendi illi non possumus accommodari, si intelligamus (ut est communis intelligentia) librum istum Genesis, et in eo caput primum, ubi initia mundi traduntur, historicum esse, et ad hominum communem styllum accommodatum. Est autem inconueniens intolerabile, quod in ipso primo initio historiæ a metaphoris, et allegoriis omnino a nostris sensibus remotis utatur. Quis enim legens tanta distinctione, et proprietate expressum, quod factum est vespere, et mane dies primus, secundus, tertius, quartus, etc. et quod requieuit Deus die septimo, sibi persuadeat ibi loqui Scripturam, historice de diebus angelicis, et spiritualibus? Cum tales dies non possint esse mensuræ hominibus accommodatæ, neque ex illis quidquam certi circa durationem, et modum producendi creaturas nobis innotescere possit, et sic pro cognoscenda a nobis productione, et institutione universi, nihil prorsus seruiet illa angelicorum dierum distinctio. Et quid proderat loquendo cum hominibus, et eis revelando id quod in primo tempore factum est, omittere dies humanos, et naturales, et interponere angelicos, vix sapientissimis hominibus notos? Quod si in uno die, aut hora, vel instanti temporali Deus fecit hæc omnia, nonne facilius erat dicere, quod in principio, seu prima die creavit cælum et terram, et in eodem die fecit lucem, firmamentum, aridam, luminaria, etc. quam tot vespere, et mane facientes diversos dies significare si non sunt dies, sed angelicæ contemplationes? Ad hæc, mirum est quod in toto reliquo Scripturæ corpore, neque dies, neque vespera neque mane sumantur pro diebus angelicis, sed solum pro humanis, et tem-

poralibus, et solum in hoc capite, quod est totius Scripturæ frontispicium, nobis proponantur dies cum tanta expressione, et cum tanta distinctione suarum partium vespere, et mane, et tamen quod non debeamus id intelligere de diebus usualibus sicut in reliqua Scriptura, sed de angelicis, et intelligibilibus, nobis incognitis. Denique, in capite XX Exodiet XXXI proponens Dominus legem de observantia sabbati dicit: *Sex diebus operaberis, sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, etc.* Ubi in priori propositione loquitur de sex diebus naturalibus, scilicet de illis in quibus operari licet, illi enim sunt dies naturales non angelici, ergo et in causali, cum dicit: *Sex enim diebus, etc.* etiam loquitur de naturalibus diebus, nam si solum fuit una dies naturalis, et sex angelicæ, non redditur legitima causalis; quid enim consequentiæ habet quod sex diebus operemur, quia sex cognitionibus Angeli intellexerunt opera facta a Deo in una die?

VIII. Sed age, devoremus hæc omnia inconuenientia, quæ ad usum, modumque humanum, et ad ipsam proprietatem litteræ, et verborum Scripturæ pertinent exprimentis, et numerantis nobis dies ea majori proprietate, et advertentia, qua videtur exprimi posse. Veniamus ad ipsam veritatem, et videamus, quod si una die totum hoc factum est, unde constat sex cognitionibus, ab Angelis, opera illius diei esse comprehensa, ut sex dies assignemus, aut si unica tantum cognitione ab Angelis omnia illa opera sunt attacta, an opera cognita, et attacta tali cognitione potuerint sex dies tantum distinguere? Nam si dies distinguuntur penes diversas cognitiones in Angelis, illæ debent esse extra Verbum, ut plures sint, quia in Verbo non sunt volubiles cogitationes

nostræ, cum sit illa cognitio æterna, atque adeo immutabilis, et una. Cognitiones autem Angelorum non sunt uniformes, sed unus intelligit per plures species, vel cognitiones, quam alius. Quis ergo est Angelus qui per sex cognitiones tantum in proprio genere extra Verbum intellexit omnia opera simul facta a Deo? Estne aliquis Angelus inferior qui superiorem habeat super se, an supremus omnium. Si supremus omnium, est plane divinare, quod ille intellexit omnia illa per sex cognitiones, non plures, nec pauciores. Et omnes inferiores Angeli per plures cognoverunt, quia quanto inferiores, tanto minus uniunt, sed multiplicant magis species, et cognitiones. Unde si solum in supremo Angelo fuerunt sex dies angelici, in reliquis multo plures. Si fuit inferior Angelus qui habuit sex illas cognitiones, ergo superior illo, pauciores habuit, et quanto superior tanto pauciores. Cur ergo magis numerabimus sex dies propter Angelum inferiorem habentem sex cognitiones, quam quatuor, vel tres, aut duos propter Angelum superiorem habentem pauciores cognitiones seu dies, quam inferior; vel etiam viginti aut triginta, aut centum propter Angelos magis inferiores, qui pluribus cognitionibus cognoscunt? Itaque in his cognitionibus vespertinis quæ extra Verbum sunt, non potest sumi uniformitas in Angelis, nec certa aliqua regula, aut fixum principium, cur magis sint sex dies, seu cognitiones, quam decem, vel viginti pro inferioribus Angelis, vel minus quam sex pro supremis.

IX. Si vero hoc attendatur ex parte solius cognitionis matutinæ, quæ est visio rerum in Verbo, hæc ut diximus solum est una, et unum mane, non plura mane sicut nobis Scriptura commemorat. Et tunc est